



K 1858

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.



165

DE  
RELIGIONE  
ORDINIS CVSTODE,  
PAVCVLA PRAEFATVS  
ACTVM ORATORIVM

A. D. V. IAN. 1573. AB HORA POMER. II.

HABENDVM

DECENTER INDICIT


M. IOANNES PETRVS MILLER

GYMNASII RECTOR.



HALLAE MAGDEB.

FORMIS LITTERARVM GEBAVERIANIS.



V leviter aegrotantes lenius, graviter decumbentes acerbius  
solent curare sapientes medici: ita non est dubitandum, quin  
tantum hoc et late non minus, quam atrociter saeviens bel-  
lum aut plane non fuerit incensum, aut dudum iam iterum  
extinctum, quodsi rector moderatorque humani generis, D E V S ea, quae  
imas infinasque tam vasti corporis partes pestilenti tabe perculerunt, ma-  
la commodius sublatum iri intellexisset. Sed, quod multi, non de plebe mo-  
do, verum etiam de iis, qui divinam humanamque sapientiam profitantur,  
dicitant, singulorum vitiorum, ut libidinum, avaritiae, superbiae, et quae  
reliquae de uno illo malignitatis humanae fonte manant, pestium correctorem  
castigatoremque bellum divinitus immitti, id, si recte intelligatur, non omni-  
no male, at minus tamen ad tuendam divinam sapientiam bonitate inque  
accommodate arbitror vulgari et trito multorum sermone disputari. Nam et has  
furias sua quainque poena naturae quadam interna necessitate coercet, et bel-  
la tantum abest, ut ista mala tollant, ut augere potius et amplificare videan-  
tur, probabiliusque adeo docere illi, qui commune hoc malum, ad commu-  
nia etiam humani generis vita corrígenda a D E O adhiberi censem; et, quem-  
admodum super reliquos mortales eminentium virorum prava exempla mor-  
bos istos per totum, cuius quasi spiritus sunt, corpus fundunt: ita consentaneum est,  
etiam ad hos praeципue malarum opinionum et vitiorum medici-  
nam hanc omnium acerbissimam pertinere. Quod uno exemplo, (paucis enim  
agere cogor,) facile me cordatioribus spero esse probaturum. Et commode  
quidem id meditans incidi in locum Q V I N C T I L I A N I , cuius vel nomine fas  
est sapientissimum quemque delectari. Hic vero dispositionis curam principem  
in oratione commendatus, ut omnia solet, graviter et copiose, in  
prooemio L. VII. Inst. Orat. de ordine ita: Artus etiam ait, leviter loco moti per-  
dunt, quo viguerunt, usum: et turbati exercitus sibi ipsi sunt impedimento. Nec  
mibi videntur errare, qui ipsam rerum naturam flare ordine putant; quo confu-  
so,

*so, peritura sint omnia.* Haec quam vere de corpore humano, de exercitu, quem adeo *τόξον* Graeci, quod sine ea nullus sit, nuncuparunt, et item de rerum universitate dicantur, non est, quamquam id copiose fieri potest, disputandi locus. At quam sapienter etiam de rep., non aliunde melius intelleximus, quam inter tantos hos et diuturnos exitiosissimi belli strepitus. Ut enim ordo, qui in re familiari, in bibliotheca, et in aedificiis construendis conspicitur, est rerum aptis et accomodatis locis compositio singularum; quae vero huic est oppofita, *άναγκη* omnia invicem miscent et alienissimo quaque loco collocat: ita iam quidem nostro malo quotidie discimus, iufitiae et aequitatis terminis sublatis et milites publice, et improbissimum quemque privatim, in aliena cum iura, tum bona invadere, ruptisque honestatis repagulis petulantissime folere irruere. Unde vero ifta licentia et effrenata libido? Nimirum remota a vulgari intelligentia quaefio! Qui legum custodes et esse debent et in pace fuerunt, magistratus, ipſi ita constringuntur, ut nulla paene fit eorum auctoritas. Ex quo fit, ut hac publica vi, quae una tot voluntates, animorumque studia, molitiones et impetus continuit, sublata, iam publica privataque fluant omnia, secumque abripiant, et agant in transversum, quae non divina quadam virtutis vi contra scelerum torrentem nitantur locumque suum defendant. Atque ab hoc tempore quam insanus stultissimum quemque nescio cuius libertatis, extra stationem, in qua positus est a communi omnium imperatore, officiorumque limites, palantium per agros militum inſtar vagandi, libido invaserit, qui ifta proprius spectet, ſcio ignorare neminem, Non liberi iam parentibus, non diſcipuli (pravos intelligo) praceptoribus, non fervili et ancillae herili imperio dicto ſunt audientes. Laxata ſunt videſtice vincula, quibus ifta arctior continebatur tot diverſorum membrorum ad communem omnium vigorem et incolumentatem, colligatio: ſilent leges, clamant, poſcunt, imperant, tumultuantur missae e carceribus suis voluptatis, arrogantiae, avaritiae, vindictae et quae ſunt reliquae cupiditatum aliarum dirae effrenataeque furiae. Et quamvis motos hos compeffere aut temperare ſaltim, fluctus in ipsa tempeſtate folcat universitatis gubernator, D E V S: videmus tamen, ipsam diuturnitatem ut alii, ita et publico huic malo vires in dies maiores addere et res humanae in peius ire, ut fit in ſeditione populari, huic usque ſueviſe. Quorū vero haec diſputo? An fortassis ut ſenſum malorum praefentium ceu imprudens pector, aut futurorum tamquam pejor adhuc vates acuam? Abſit hoc! et iam potius de leniendo pellendoque morbo eſt cogitandum. Hoc vero meditanti, ſedes iſſius eſt paucis notanda, non vero alia illa, quam quae reliquorum malorum eſt, religionis sanctissimae petulans et ſerpens in dies latius proterva contemtio. Haec una eft illius *ordinis*, quem publicae felicitatis custodem et moderatorum dixeris, genetrix et conservatrix, caeleſtis sapientia, suas cuique partes, ut in ſcena, et locum, quem ſervare debeat, ut in acie, sapienter non minus et utiliter, quam decore deſcribens. Nam ut huius quidem, quem dixi, ordinis publici vis omnis in ea, quae ſuum cuique tribuit, iuftitia poſita eſſe facile intelligitur: ita quemadmodum sanctissimae I E S V C H R I S T I disciplinae aequam hanc officiorum distributionem



nem uni maxime debeat humanum genus, non est remotum a sensu communis. Quis enim divino hoc officiorum doctore aut sapientius aut gravius praecipere potuit, quid ipsi Reges D E O, cives regibus, reges vicissim suis ipsorummet civibus debeant sancte inviolateque praestare? Unde melius et plenius, quam ex eius ore discitur, quo loco habendae ponendaeque sunt res quaeque? in quantum, et qua singulae cautione appetendae, fugiendae aliae; iura vero omnium, vel infinorum, ut a Deo concessa, sancte colenda, neminem in bonorum suorum usu esse turbandum? Quae alia sapientia cupiditates vincere et quo minus extra terminos vagentur, severius cohære, divinam ad id vim impertiens, docet? Quae si igitur omnibus una sanctissima lex esset, non est dubitandum, quin laetissima constantissimaque pace et mutua concordia simus fructuri, et ea felicitate, quam aureae aetati suae non ingeniose magis quam iucunde fabulosa tribuebat vetustas. Ablatam in caelum itaque quoties dolemus pacem, reducendam conciliatrixe pietate vere christiana, inde iterum in terras nostras caedium et rapinarum scenas, cogitemus et ita quidem cogitemus, ut nemini nostrum prius quidquam aut sanctius sit, quam voce, inimo exemplo magis, sanctissimam religionem quibus quisque possit maxime, et succrescenti imprimitis in laetiores spes pubi commendare. Quo magis illi confusione et intestinarum dissensionum certaminunque auctores propagatoresque sunt habendi detestandique, qui ipsis iuvenum mentibus inpietatis feminam committunt, et quantum in illis est, efficiunt, ut cum a D E O, tum ab hominibus inter se fiat ista animorum disiunctio et prava pestilensque dissensio.

Sed parcam lectorum patientiae, usurus illa cras cum meae ipsius orationi de elato inter bellicos tumultus Christiani sapientis animo, tum vero iuvenum declamatiunculis a se elucubratis crita meam opem. Disputabunt enim

CHRIST. FRIED. RICHTER, Hall. de laudibus beneficentiae germ.

SIGISM. EHREG. WEBER, Polonus, de iuvenilis virtutis commendatione, francice.

CHRIST. FRIEDER. WOLLE, Lips. de praestantia graecorum et latinorum scriptorum quaedam, latine.

IO. IAC. NETTELBLATT, Rostochiens. hiemem pinget germ.

---

P. P. in Gymnasio Hall. a. d. IV. Jan. ccccclxiii.



KDR





165

DE  
RE LIGIONE  
ORDINIS CVSTODE,  
PAVCVLA PRAEFATVS  
ACTVM ORATORIVM

A. D. V. IAN. CICLO CCLXIII. AB HORA POMER. II.

HABENDVM

DECENTER INDICIT

M. IOANNES PETRVS MILLER

FOR

